



*Perillustri & Generosissimo VIRO,*  
**DN. FERDINANDO GEITZIG-**  
**HOFLERO,** Libero ac Nobili Baroni, Haunsheimii,  
 Stauffæ, Masæ & Waschenbeuræ Domino, Equiti Aurato,  
 Chiliarcho, &c. Württembergiæ Produci  
 laudatissimo,  
 DOMINO suo gratiosissimo.

*Q*uoniam nemo sit, Perillustris Dn. Baro, in cujus ore PAX non  
 versetur, & vel lapides in platea videantur malle ve-  
 tera, quæ tuta erant, quàm presentia, quæ interneccione  
 generis humani tanto tempore redundant, ut, si senes, & senescere  
 incipientes excipiamus, hac nostrâ tempestate vix quisquam sit,  
 cui præter vocabulum pacis quicquam de PACE innotescat; Illique  
 operæ pretium erit, si etiam verbi divini præcones de PACE disse-  
 rant, quia Spiritus, cujus Ministerio illi funguntur, non tantum  
 PACIS, quæ in polo, sed & quæ in solo, DEUS est, ut vel sexcentis  
 Scripturæ locis, tam de hac, quàm ista PACE agentibus, demonstrari  
 posset: Adeò, ut conditionibus quæ pro utraqûe in sacris habentur,  
 neglectis, frustra sit omnis de PACE tractatio. Hac vel sola de causa,  
 ut exempla facti omittam, coram mea Ecclesia, proximè dilapsis  
 Januarii Calendis, publicè de PACE disserui, remonstrans vota,  
 quibus, ut ea concludatur & fiat, inhiandum sit; quæ, cum non  
 tam sint ingenii mei inventa, quàm imitamenta Prophetica, publi-